5

SANCTISSIMO D. N. D.

BENEDICTO
PAPÆ XIII.

De Provincia Romana, ejuſque Epiſcopis Suffraganeis.

DISCEPTATIO

DIONYSIJ PERAVGVSTINI

Archidiaconi Camerinenſis, ac S. Romani Concilij Conſultoris.







ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ MDCCXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

Quemadmodum Sanctitas Veſtra in minoribus moderandis Eccleſiis, ſpatio dimidii ſæculi, ſanctiorum Præſulum, & præſertim S. Caroli Borromæi veſtigiis inhærendo, apprimè utilem, ac neceſſarium morem convocandi Synodos exequi ſedulò curauit, ut liquet ex *utroque Synodico S. Eccleſiæ Beneuentanæ Prouinciali, & Diœceſano*, ita ad ſupremum uniuerſalis Eccleſiæ regimen evecta, Prædeceſſorum ſuorum chariſmata meliora æmulando, nihil antiquius habuit, quàm ut ſaluberrimam hanc Epiſcopalis muneris partem præſtaret alacriùs, & cęteris explendam Primæ huius Sedis exemplo commendaret.

Quapropter præſens Concilium Romanum cogere ſategit: *ad divinum cultum reparandum, & collatis in commune Conſiliis, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibus, & Tridentino Concilio Sancitis renovandis &c.*

Quæ omnia recenſentur in decreto Gratiani *diſt.18. & Ioannes Cabaſſutius in NotitiaConciliorum adNicęnosCanones V.VI.VII.* tradit ex Concilio primo Nicæno Can.5. præſcribi ut: *Bis in anno convocentur ad Synodum omnes in ſingulis Provinciis Epiſcopi; primùm quidem appetente Quadrageſimæ tempore, deinde autumno. Eamdem iterat conſtitutionem Concilium Antiochenum Canone 20. & Oecumenicum Chalcedonenſe Can. 18. & Leo Papa I. Epiſt. 82. cap.7. Quin etiam Apoſtolorum Can.37. Jubet, quotannis Epiſcoporum Provinciæ convocari Synodos, tum hebdomada quarta Pentecoſtes, tum die duodecima menſis hyperberetæi, qui noſtro ferè Octobri reſpondet, ibique appellationum cauſas terminari, ſingulorumque Epiſcoporum prolatas in ſuis Parochijs ſententias, & acta examinari.* Et concludit idem Author, quòd: *Hoc ipſum olim Romanus quoque Pontifex ſervabat, & frequenter Synodos Provinciales convicinorum Antiſtitum, quibus præeſt titulo Metropolitani convocabat; ſicut etiam Nationalem Synodum uti Primas Italiæ, atque Siciliæ &c., & aliam, ſed rariùs tanquam Occidentis Patriarcha.* Hæc illæ fol. mihi 54., & 55.

Cumque occaſione præſentis Concilii orta fuerit controverſia ſuper finibus Romanæ Provinciæ, ejuſque Epiſcopis Suffraganeis, prætenſum fuit expungendos fore ab Elencho edito una cum Li-

teris In dictionis dicti Concilii die 24. Decembris 1724. ſub numero ſecundo, nonnullos ex dd. Suffraganeis Romani Pontificis tanquam Urbis Metropolitæ, cum quo privativè quoad alium quemcumque convenire debent ad Concilium,nec alium poſſunt eligere, ad præſcriptum *Sacri Conc. Trid. ſeſſ.24. cap.2. de Ref.* eo ſub prætextu, quòd Diœceſes prædictorum Epiſcoporum diſtent ultra *Centeſimu m ab Urbe Lapidem*; hanc tamen prætenſionem neutiquam ſubſiſtere, hac brevi Diſceptatione, pro veritate conſultus, demonſtrabo.

Sed præmittendum duxi, quòd poſtquam Roma *Caput Mundi, totiuſque Romani Moderatrix Imperij. Euſeb. de Vit. Conſtan. lib. 1. cap. 20., & Pietatis Metropolis Sozzomen. Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 7.* fundatam in ſuo vidit ſolo Apoſtolicam Sedem, Petrus Apoſtolorum Princeps,ut Hierarchicum ordinem,ex divina acceptum traditione ſervaret ad diverſas Orbis partes Epiſcopos ablegavit, quorum, qui ampliori Ditioni jubebantur præeſſe Patriarchæ ſunt appellati, uni tantùm Provinciæ Præſidentes Archiepiſcopi, cæteri verò unam Diœceſim moderantes Epiſcopi nomine ſunt inſigniti. Ad Romanæ tamen Sedis ſplendorem, & Majeſtatem conciliandam plures deſtinati ſunt Præſules, qui præter Romanum nullum alium recognoſcerent Metropolitam, unde dicti ſunt Suffraganei Romanę Provincię ex *Ughell. in Præfat. ad prim. Tom. Ital. Sacr.*

Hanc Provinciam olim ſeptuagintaduos numeraſſe Suffraganeos traditur, præter Eccleſias ſex Cardinalibus attributas. Sæculo poſtmodum XI. *Teſte Baron. tom. 11. Annal. ad ann.* 1057. ſexagintaduo circiter erant *Epiſcopi Suffraganei Romani Pontificis, nulli alij Primati, vel Archiepiſcopo ſubjecti, qui frequenter ad Synodos vocarentur*, illorumque Cathalogum profert ex ſcripto Codice Vaticano Sacrorum Rituum ex Epiſcopis utriuſque *Latii, Tuſciæ, Umbriæ, utriuſque Piceni, Valeriæ, & Samnii &c.* prout fuſius apud eumdem *Ughell. tit. de Provincia Romana* inveteri, & recentiori editione.

Hanc eamdē Provinciam arctioribus limitibus contraxit UrbanusII. donec Innocentius III. illam conſtituit inter Capuanam, & Piſanam *ex cap. Tua nobis de Offic. Vic.* ibi: *Præſertim cum ipſe moratur in ſua Provincia ſpeciali, videlicet inter Capuanam Provinciam, & Piſanam ubi etiam Gloſſ.* Verùm quia alii Pontifices Succeſſores plures Metropoles in ea erexere, nempè Martinus V. Florentinam, Pius II. Senenſem, Pius IV. Urbinatem, & Sixtus V. Firmanam. *Carol. à S. Paulo in Geograph. Sacr. Ital. lib. 2. cap. 9.* ad præſens Provincia hæc habet illos tantùm Suffraganeos, qui deſcripti reperiuntur in prælaudato Elencho Apoſtolico *num. 2.* cum quo concordant modernæ omnes Tabulæ Topographicæ apud DD., & ſignanter *Barboſ. de Epiſcop. Cor-*

rad. in prax. diſpenſ. Ap. Franc. de Eccl. Cath. Baudran in Lexic. Geograph. Deſeine, & alios.

Hinc ab hujuſmodi Elencho nefas erit expungere aliquem ex Epiſcopis, & inter eos *Anconitanum*, *Aſculanum*, *Auximanum*, *Æſinum*, *Fanenſem, & Recinetenſem &c.* eo ſub inani motivo, quod diſtent ultra *centeſimum ab Urbe Lapidem*, quandoquidem tali ambitu coarctatam olim tradunt DD. Romanam *Diœceſim*, *quæ vox juxta communem uſum Eccleſiæ ſolet intelligi pro Juriſdictione ad unum Epiſcopum tantùm ſpectante ex Du Mortier. in Æthymolog. Sacr. Græcolat. & Magri verb. Diœceſis* ad formam diviſionis factæ à S. Dionyſio Papa de qua *Cauſ.* 13. *q.* 1., *& in cap. Paſtoralis de his quæ fiunt &c.* ex regula, fortaſsè Præfecturæ Urbanæ, quæ non protendebatur ultra Centum milliaria circumcirca *per Text. in l.* 1. §. *Initio ff. de Off. Præt. Urb. de quo Fenſon. ad Statut. Urb. cap.* 197. *numer.* 95., *& ſeqq.*, & plenè idem *Cabaſſut. ubi ſupra in Diatriba de Provincijs Eccleſiaſticis*.

Et quamvis à *Finibus temporalibus non inferatur ad Spirituales per Text. in Cap.* 1. *de Relig. Domib. Rot. dec.* 324. *nu.* 10. *p.* 1. *rec.* Et Catholici omnes inſurgant adverſus nonnullos Hæreticos, qui cum Luthero,& Calvino, *omnem Romani Pontificis Authoritatem reſtringere attentarunt infra Centeſimum ab Urbe Lapidem, nullamque juriſdictionem poſſe exercere extra Territorium Præfecturæ Urbanæ*, impiè aſſerverunt; quorum errorem confutavit inter alios *Leo Allat. de Eccleſ. occident. & orient. perpet. conſenſ. lib.* 1. *c.* 2. *Hieronymus Aleander Jun. diſſert.* 1. *cap.* 2. *de Suburbicariis Regionibus, & Diœceſi Epiſcopi Romani, cum Cardin. Baron. ad ann.* 325. *num.* 132. *Jacob. Sirmondus ſoc. Jeſ. de Regionib. Suburbicar. cap.* 1. *& Card. Perronius contra Jacob. Reg. Angliæ lib.* 1. *c.* 33.

Attamen in ſenſu orthodoxo, & ab Achatolicorum delirijs omninò alieno dicitur,quod: *Diœceſis, in qua Papa tanquam Epiſcopus particularis* Urbis *legem Diœceſanam exercet per ſuum Vicarium, qui proinde in Urbe, ejuſque* Territorio *dicitur Ordinarius de Luc. de Præb. d. diſc.* 1. *num.* 6. ex ipſius Papæ præſcripto, & voluntate potuit reſtringi ad centum, ac etiam ad quadraginta milliaria.

Quemadmodum enim Romanus Pontifex uti Paſtor univerſi Gregis Dominici, & Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ, dictus à *Tertulliano lib. adverſ. Pſychicos cap.* 1. *Epiſcopus Epiſcoporum* authoritatem, quam habet à Deo independenter à quocumque extendit per univerſum Orbem: *exeundum, quippe, Orbe eſt, ſi quis fortè velit explorare quid ad Summi Pontificis curam non pertineat ex Divo Bernard. de Conſider. ad Eugen. l.* 1. illam tamen in quibuſdam caſibus ſolet limitare, juxta multiplicem hierarchicam repreſentat...

diĉtionem protrahit ad ſolum Orbem Occidentalem . *Cabaſſut. in d. Not. Concilior. ad Nicænum Canonem. V.*, *& Carolus a S. Paulo ubi ſupra fol. 36.* uti *Primas* ad ſolam Italiam , Inſulaſque illi adjacentes ex Divi Leonis Magni *Epiſt. 4. cap. 7.* & uti *Metropolita* ad ſolam ſuam ſpecialem Provinciam Romanam hodie , ut diĉtum fuit, inter Capuanæ, & Piſanæ confinia circumſcriptam, cujus Provinciæ Præſules tanquam intimi Suffrãnei Pontificii Metropolitæ vocantur *Vrbis Romanorum Epiſcopi* apud *Euſeb. lib. 7. cap. 24. et Theodoret. lib. 2. cap. 8.*

Ità pariter uti *Epiſcopus particularis Vrbis* juriſdiĉtionem voluit cõtrahere ad ſuam tantùm Romanam Diœceſim, quam non excedere limites Territorii , ſivè Diſtriĉtus Urbani ad centum,ac ettiam quadraginta milliaria reſtriĉti , patet ex ipſis publicis documentis expediri ſolitis per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Vicarium ibi *Sanĉtiſſimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ , eiuſque DISTRICTVS Judex Ordinarius &c.*

Comperto itaque æquivoco inter *Diœceſim , & Provinciam Romanam* , plana , & facilis erit reſolutio, iſtam ſpatio centeſimi milliarij non terminari ; nullo ſiquidem hoc jure cavetur , nec authoritate firmatur , quinimò contrarium evincitur ex allegato *Textu in cap. Tua nobis de Offic. Vic.* ex quo cum intèr Capuanam , & Piſanam circumſcribatur,harum fines per ducentum ferè milliaria ab Urbe diſtare tradit idem *Carolus à S. Paul. ubi ſupra in ultima notit. fol. 36.* , & reputatur *erronea opinio contraria reſtringens hanc Provinciam Romanam intra circumdarium centeſimi milliarij , quaſi quòd cum Epiſcopis intra eundem ambitum exiſtentibus tantùm Papa Perſonam Metropolitani gerat. De Luc. Relat. Cur. Rom. diſc. 2. num. 5.*, & in literis Indiĉtionis præſentis Concilij vocantur : *Epiſcopi omnes in ſpeciali noſtra Provincia conſtituti , videlicet intèr Capuanam , & Piſanam.*

UndeEpiſcopos omnes in noſtro Elencho ſupra recenſitos,quomodocunque ab Urbe diſtantes privativè ſpeĉtare ad Romanum Pontificem tradunt communitèr DD. tanquam ab origine , & quodammodò Suffraganeos natos Romani Metropolitæ , ut præter alios indicat idem *Vghell.* nedùm de comprehenſis intra ambitum centeſimi milliarij , qualis eſt e. g. *Epiſcopus Camerinenſis* , de quo ſuo loco ita notavit ibi : *Camerina porrò Civitas uni ſoli Romano Pontifici paret ex ſuis fermè incunabulis , atque haĉtenus hoc ipſo illibato privilegio gaudet* : Et frequentèr Epiſcopi Camerinenſes leguntur ſubſcripti in Conciliis Romanis , intèr quos emicuerunt quidam *Gerontius , Probus , & Bonifacius* ; Sed etiam hoc idem innuit de reliquis Epiſcopatibus licet poſitis longè vltra diĉtum centeſimum ab Urbe Lapidem inter quos eſt Aſculanus de quo ibi : *Aſculanus Epiſcopus nullius Metropolitani ex arbitrio*

quium præſtat, & de Auximano ibi : *Auximanus Epiſcopus pro Metropolitano Pontificios faſces proximè reveretur, adorat, inter Romanæ Provinciæ Præſules numeratus*, vt de reliquis taceam.

Ad Romanæ ſiquidem Sedis ſplendorem, Majeſtatemque conciliandam, ejus prærogatiuæ conſecrantur Epiſcopi, qui ex nullius Metropolitani nutu pendeant, ſed unius tantùm Romani Pontificis faſces proximè revereantur. Concludit idem *Vghell.* Multùm porrò derogaretur ſplendori, majeſtatique Romani Metropolitæ, ſi ex adeò exiguo Suffraganeorum Cætu ad octo ſupra triginta circitèr redacto in prælaudati Elenchi numero ſecundo, alij adhuc delerentur; ad quod præcipuè reſpectum habuiſſe videtur ipſe Sixtus V. in ultima erectione Firmanæ Metropolis; quando noluit illi ſubijcere aliquem ex Epiſcopis licet vicinis, at Suffraganeis natis Romanæ Provinciæ, ſed nonnullos tantùm noviter erectos, antiquos intactos præſervando Urbis Metropolitæ, cujus inſuper Provincia ſi Centenarii Lapidis termino clauderetur deterioris eſſet conditionis Mediolanenſi Provincia, quæ inter alias ultra dictum terminum longè extenditur.

Hos denique Suffraganeos Romanos ſupra notatos, non comprehendi ſub Tridentina Cenſura de eligendo *Vicinum Metropolitanum*, neque ad effectum conveniendi ad Concilium Provinciale deciſum refert *Fagnan. in cap. Etſi Membra de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. Capit. n.* 36. Cum in illis optimè adimpleatur Mens Tridentini, eò quòd Romanus Metropolita illis reputandus ſit *Vicinus*, Legeſque in ejus Synodali Conventu latas, benè aptari felici regimini uniuſcujuſque ipſorum Diœceſeos perſpicuum eſt. Imò neque volentes poſſunt ſe alteri ſubiicere in præjudicium proprij Metropolitę, in cujus favorem primariò conceſſa fuit exemptio ex vulgatis juribus, præſertim exempti Sanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè Subjecti, de quibus agimus.

Ac ità prò Veritate requiſitus, in temporis anguſtia, cenſeo, omninò amouendum eſſe *Centenarij ab Urbe Lapidis* terminum Romanæ Provinciæ, ut ſupra inconſultò præfixum; Salvo tamē ſemper Sanctitatis Veſtræ ſupremo Judicio, ac Eminentiſſimorum PP. & Reverendiſſimorum Præſulum hujus Sacri, & Auguſti Conſeſſus Cenſura, dùm ad Sanctiſſimorum Oſcula Pedum provolutus humillimè procumbo. Romæ hac die 26. Aprilis 1725.

Ego Dionyſius Perauguſtinus Archidiaconus Camerinenſis, ac hujus S. Romani Concilii Conſultor.

Google